

guntur ab intellectu, non nisi ut possibiles attinguntur, ergo antecederent ad omnipotentiam videntur ut possibiles. In quo ergo attributo, cum solum per omnipotentiam reddantur possibiles?

XXI. Ad id respondet D. Thomas quæstione II de veritate, art. VIII, in calce corporis, sic de hac difficultate decernens: « Quorumdam quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, quæ scilicet nunquam Deus facere disposuit, habet quidem speculativam cognitionem, et quamvis dici possit, quod intueatur ea in sua potentia, quia nihil est quod ipse non possit, tamen accommodatius dicitur, quod intuetur ea in sua bonitate, quæ est finis omnium, quæ ab eo fiunt, secundum scilicet, quod intuetur multos alios modos esse communicationis propriæ bonitatis, quam sit communicata rebus existentibus, quia omnes res creatæ ejus bonitatem æquare non possunt, quantumcumque de ea participare videantur. » Ita D. Thomas, juxta cujus doctrinam dicendum est, Deum in sua perfectione (id nomine bonitatis intelligit s. doctor) cognoscere creaturas, quatenus ab ea omnes participabiles sunt, unaquæque enim creatura dicit modum quemdam participatæ, et limitatæ perfectionis inadæquate se habentem ad divinam perfectionem. Et quia omne id quod participat quoquo modo entitatem, imitatur, et derivatur a primo ente, et a perfectione divina, ideo de omni eo, quod in creatura possibili intelligi potest, habet Deus in se sufficiens principium, per quod illud intelligat respiciendo ad suam perfectionem ut imitabilem, et participabilem a creaturis. Quomodo autem creaturarum perfectiones sint in Deo, an solum intelligibiliter, quia ab eo intelliguntur, an etiam entitative, quia de ejus esse participant, enti-

tative inquam virtualiter sicut effectus in sua universalissima causa, supra tractatum est disputatione quinta.

XXII. Itaque in cognitione creaturarum possibilium sub statu possibilitatis ad plura attributa respicit Deus et secundum diversam formalitatem, qua unumquodque attributum respicit illas, potest intelligi, quod Deus cognoscit creaturas possibiles inadæquate, et prius, vel posterius concepiuntur sub una formalitate, quam sub alia, prioritate rationis nostræ, adæquate vero intelligit illas sub omni respectu, quem habent ad Deum per omnia attributa, quæ circa creaturas possibiles quoquo modo versantur. Nam in primis quantum ad prædicata quidditativa creaturarum possibilium videntur in essentia ipsa divina, seu bonitate, aut perfectione ejus, quatenus unaquæque creatura habet suum gradum, et suam speciem, et essentiam participando, et imitando aliquid de illimitata, et universalissima perfectione Dei, qui est primum ens. Et ipsa essentia divina ut cognita ab intellectu tamquam participabilis ab ista creatura in suo gradu, et specie, et modo, ab alia creatura alio modo, specie, vel gradu constituit ideam, seu exemplar secundum quod intellectus divinus artificialiter potest creaturas operari, ut infra quæstione sequenti, quæst. XV, dicemus. Rursus intellectus divinus, in sua sapientia, et practica vi seu arte respicit creaturas possibiles, non solum quoad prædicata quidditativa, quæ participant ab essentia, sed etiam quoad possibilitatem existentiam, quatenus cognoscit vim directivam ex parte intellectus ad ponendum illa in esse, et in sua omnipotentia videt possibilitatem creaturarum, quoad vim executivam quæ juxta directivam exequitur. Et in sua mi-

sericordia videt possibilitatem creaturæ, ut potens sublevare illam a miseria, et a nihilo, et in sua justitia ut potens dare illis id quod est debitum, vel conforme suæ naturæ, aut ordinationi Dei de illis, et in sua immensitate quatenus potest illis assistere in quocumque spatio illas voluerit ponere. Et sic non in uno tantum attributo, sed in pluribus videt creaturas possibiles secundum diversos respectus ad diversa attributa, ut autem respicit unum attributum tantum, respicit illas inadæquate, solum ut possibiles, quantum est ex vi illius respectus, et formalitatis.

XXIII. Unde ad rationem dubitandi patet solutio. Dicimus enim, quod de omnipotentia possumus loqui dupliciter. Uno modo pro omnipotentia proxima et formali, quatenus est attributum condistinctum ab aliis, et ab essentia, et solum designat ipsam vim pure executivam efficienter ad extra. Alio modo pro omnipotentia, vel radicali, quæ non est aliud quam ipsa divina essentia, quæ est radix attributorum, et etiam hujus attributi, quod est omnipotentia, vel directiva ex parte intellectus per sapientiam et artem, aut inclinativa ex parte voluntatis per justitiam, misericordiam, etc. Sic ergo dicimus quod intellectus divinus cognoscit creaturas in omnipotentia divina tum radicaliter sumpta, id est, in ipsa essentia, quatenus est primum ens, a quo omnia entia creata participantur. Et respectu hujus non procedit argumentum, quia essentia, quæ est radix omnipotentiam non est posterior intellectu seu intellectione divina: tum etiam cognoscit creaturas in omnipotentia formaliter sumpta, prout est attributum condistinctum ab aliis. Et hoc dupliciter tum in potentia ut dirigente, et inclinante ex parte intellectus, et voluntatis, tum ut ef-

fective executiva ad extra, quæ ab ipso intellectu practico non distinguitur, quæ licet posterior, id est, consecuta videatur ad ipsum intellectum, et intellectionem Dei, ut attributum, et proprietas ejus, tamen ut objective attacta, et inclusa in comprehensione ipsius naturæ divinæ non subsequitur, sed comprehensio totum attingit, et consequenter creaturas inde derivabiles, ut sunt aliquid extra Deum objective, non quidem quod attingat illas ut sunt extra Deum, si ly extra dicat modum, rationemque motivam ex parte cognoscentis, sed si dicat terminum objectum, et attactum ex parte rei cognitæ, ut bene Cajetanus explicat in hac quæstione, articulo VI, circa solutionem ad primum.

### ARTICULUS III.

*Utrum scientia simplicis intelligentiæ sit causa rerum, et proxima regula actus liberi?*

Hæc difficultas duo involvit, quæ ex eodem fundamento seu principio discutienda sunt. Primum, an Deus ad eliciendum actum liberum, et decretum efficax quod nomine approbationis intelligimus, utatur scientia simplicis intelligentiæ tamquam regula practica actus liberi, an vero reguletur scientia visionis. Secundum, an scientia approbationis sit distincta a scientia visionis, et simplicis intelligentiæ, an vero ad aliquam earum reducat, et ad quam. Ne autem in æquivoco laboremus nomine scientiæ approbationis, non solum intelligimus id quod nomen approbationis sonat, quæ solum significare videtur voluntatem respectu boni, solum enim bona approbantur a Deo, mala vero reprobandur, sed nomine approbationis intelligimus quamcumque voluntatem efficacem Dei, quæ respec-

tu bonorum approbatio est, respectu vero malorum permissio, si sint mala culpæ, atque in nomine scientiæ approbationis intelligitur scientiæ habens adjunctam efficaciam voluntatis, sive sit permittens, sive positive causans, et inquirimus utrum adjungatur, et reguletur scientia simplicis intelligentiæ, vel visionis.

II. Igitur circa primum punctum plures ex recentioribus sentiunt scientiam causativam rerum esse scientiam simplicis intelligentiæ, non visionis. Cui sententiæ adhærent pater Molina super istam quæstionem, articulo VIII, §. His positis; pater Vazquez hic disputatione LXVIII, capite VI; Suarez, lib. III de attributis, cap. IV, numero XIII; Arrubal hic disput. XXXII, capite III, et alii, voluntque esse sententiam D. Thomæ in hac quæstione, art. VIII, ut infra ponderabimus argumento primo.

III. Nihilominus opposita sententia tamquam D. Thomæ et communiter Thomistarum defendenda est. Pro ejus intelligentia est advertendum duo esse certa inter nos, et auctores oppositos, et in uno esse totum pondus difficultatis. Certum est primo, quod scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum saltem quantum ad virtutem, et rationem causandi, quidquid sit de applicatione requisita, ut causet actu. De hoc non potest esse difficultas, sumiturque expresse ex D. Thomæ, infra quæstione XV, art. III ad secundum, ubi dicit: « Quod eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum. » Et in hac quæstione, art. XVI ad primum inquit: « Quod scientia Dei est causa non quidem sui, sed aliorum quorundam quidem actu, scilicet eorum quæ secundum aliquod tempus fiunt, quorundam vero vir-

tute, scilicet eorum quæ potest facere, et tamen nunquam fiunt. » Ergo secundum D. Thomam scientia possibile est causa rerum in virtute, scilicet quæ respicit effectum, tantum ut possibilem, et habet vim producendi illum, non tamen applicationem habet ut producat. Causa autem in actu dicitur illa, quæ habet applicationem ad causandum vel actu operatur. Igitur secundum D. Thomam respectu eorum quæ sunt pure in statu possibilitatis scientia Dei seu idea habet virtutem causativam; respectu vero eorum, quæ sunt extra statum possibilitatis in aliquo statu existentia est causa in actu. Et ratio est, quia respectu possibilitatis habet Deus rationem artis directivam, licet actu non dirigat, et omnipotentiam productivam licet actu non producat, voluntas enim solum dat applicationem, et movet ad executionem efficaciter ipsam virtutem, et potentiam, non autem talem virtutem dat, sed supponit ut moveat illam; constat enim plus posse Deum, quam de facto velit. Ergo voluntas actus volens supponit potentiam, non præbet, sed ante actum voluntatis scientia quæ datur solum est simplicis intelligentiæ, et non visionis; ergo in ipsa scientia simplicis intelligentiæ datur virtus causativa per modum artis, et directiva, tum voluntatis, tum objecti faciendi, solum autem per voluntatem applicatur ista virtus, et ratio directiva ad faciendum de facto voluntarie, et libere.

IV. Secundo, est certum scientiam visionis saltem concomitanter respicere futura, quia hoc ipso quod scientia Dei applicatur per voluntatem ad hoc, ut causet creaturas, et creaturæ redduntur causatæ, et existentes pro aliqua differentia temporis, ipsa scientia redditur visionis, quia respicit, et terminatur ad

illas creaturas præsentis. Unde ipsa futuritio ad minus concomitanter se habet ad talem scientiam visionis. Imo non potest intelligi, quod sit scientia visionis sine eo, quod terminetur ad creaturas existentes pro aliqua differentia temporis, sive futuras, sive præsentis, sive præteritas.

V. Tota ergo difficultas reducitur ad hoc, an scientia visionis in eo, in quo visionis est, et distinguitur a scientia simplicis intelligentiæ concomitanter se habeat respectu futurorum, aut illa supponat, sed etiam ab aliquo ordine causalitatis illa præcedat, et pro hac parte sit scientia approbationis quæ est causa rerum, et taliter sit visionis, quod etiam sit practica, et factiva ejus quod videt, an solum speculativa ut visionis est. Et in hoc multa æquivocatio, et plura argumenta nostra solvuntur a contrariis, dicendo quod solum probant concomitantiam futuritionis cum scientia visionis, non vero causalitatem. Imo hinc sumit argumentum contra nos pater Herice hic disputatione X, cap. I; quia secundum D. Thomam prius est futura coexistere æternitati, quam videri a Deo, si quidem coexistentia in æternitate est causa, seu ratio quod objectum intuitive videatur, hoc autem quod est coexistere æternitati non potest causari a scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ, quia alias visio ipsa præcederet coexistentiam ipsam in æternitate, et sic præcederet ipsam in ratione visionis, esse causa. Hæc ergo est difficultas quomodo ratio visionis, et causalitatis possint esse idem.

VI. Quare ut sententia nostra efficaciter probetur contra præfatos auctores, non sufficit ostendere, quod scientia ut causet debet esse determinata, et non indifferens, at-

que adeo debet esse scientia visionis, scientia autem simplicis intelligentiæ indifferens est ad producendum, vel non producendum: hoc, inquam, sufficit, quia respondebunt adversarii, quod ista determinatio causæ requiritur ex parte voluntatis, et sic adjungitur quasi extrinsece ipsi simplici intelligentiæ, ut causet futurum, quo causato attingitur scientia visionis, neque enim est inconveniens, sed potius necessarium quod scientia visionis subsequatur determinationem liberam voluntatis. Quando autem determinatur voluntas, non potest concurrere scientia visionis ad illam determinationem quasi regula et principium illius, si quidem fundatur scientia visionis in illa, et subsequitur illam, ergo non respicit scientiam visionis pro principio, sed pro subsequuto: ergo sicut ipsa determinatio libera, est causa rei futuræ, et ipsius scientiæ visionis, ita scientia simplicis intelligentiæ, quæ regulat, et causat istam determinationem, dicitur causare ipsa futura, scientia autem visionis causat illa, sed concomitatur, quia simul est quod determinatio libera Dei causet futura, et quod ex illa resultet scientia visionis, quæ talia futura contempletur.

VII. Oportet ergo probare, quod ipsa scientia visionis hoc ipso, quod repræsentat futura, in quantum scientia visionis est, repræsentet illa, ut causata a se, imo quod repugnat scientiam in Deo, quatenus applicata, et determinata ad causandum non esse scientiam visionis, et non repræsentare futura tamquam causa illorum. Hoc autem ut probetur supponimus id quod oppositi auctores non negant, scilicet scientiam simplicis intelligentiæ de se non dicere determinationem, et applicationem ad producendum effectus; hoc enim libere convenit Deo,

scientia autem simplicis intelligentiæ necessario, et naturaliter convenit. Quare scientia simplicis intelligentiæ de se, et remoto omni decreto libero solum importat ipsam vim seu virtutem, qua ex parte intellectus potest Deus ordinare, et dirigere productionem creaturarum, determinatur vero, et applicatur ad istas creaturas, potius quam ad illas per voluntatem efficacem tamquam per primam rationem moventem quoad exercitium liberum, licet enim voluntas etiam indigeat principio determinativo ex parte intellectus per modum regulantis, seu moventis, quoad specificationem, tamen non est formaliter determinata, et applicata ipsa scientia productiva rerum applicatione quoad exercitium, nisi a voluntate talis applicatio fiat; sine illa autem non determinatur futurio in effectu, quia ut determinate sit futurum debet esse determinatum in exercitio, et in productione; omnis autem determinatio quoad exercitium oritur a voluntate. Ea vero posita consurgit determinatio in scientia ut istum effectum potius quam illum attingat, ut futurum applicate et determinate, et sic scientia visionis.

VIII. Ex hoc ergo desumitur efficax argumentum pro nostra sententia, quod in hunc modum propono. In Deo datur scientia repræsentans futurum determinate, et applicate, ut futurum est, et hæc est scientia visionis, si quidem in hoc solo distinguitur a scientia simplicis intelligentiæ, quia illa repræsentat res in statu puræ possibilitatis, hæc vero in exercitio determinato futuritionis, vel existentiam, sed non potest hæc scientia sic repræsentans futurum repræsentare illud nisi sit causa illius; ergo scientia illa in quantum scientia visionis est causa talis futuri. Major manifesta est, cum in Deo detur cognitio futuro-

rum intuitiva; ergo et repræsentatio intuitiva talis futuri: atque adeo determinate, et applicate repræsentat illud, et non cum indifferentia simplicis intelligentiæ, quæ solum repræsentat res sub statu possibilitatis indifferenter ad esse, vel non esse, non determinate sub existentia. Minor vero probatur, quia futura dependent a causa prima, non solum ut habent virtutem causandi, sed etiam ut applicata, et determinata ad causandum; ergo ipsa applicatio non est concomitans, sed antecedens, quia causa prout applicata, et determinata influit in effectum, et causat illum, cum ergo sit de fide scientiam Dei esse causam rerum, juxta illud Psalmi ciii: *Omnia in sapientia fecisti*, et Proverbiorum cap. v: *Dominus sapientia fundavit terram*, et denique, quia *Ipsè dixit, et facta sunt*: dicere autem est actus intellectus determinate, et in exercitio loquens aliquid, et si facit loquendo aliquid determinatum facit, necessario fatendum est scientiam Dei, etiam quatenus applicata, et determinata scientia est, et quatenus dicens, esse causam rerum, quia sola virtus sine applicatione non operatur, sed scientia applicata, et loquens determinate est scientia visionis, quia in hoc differt a simplici intelligentia, nam hæc non repræsentat determinate, et applicate rem existentem, sed tantum sub statu possibilitatis, et cum indifferentia ad existendum: ergo scientia visionis est causa rerum, quia est scientia applicata, et determinata dicens, et faciens determinate existentiam.

IX. Respondebis, verum esse quod scientia Dei causat prout applicata, et determinata, sed tamen hæc determinatio est ipsi extrinseca, scilicet determinatio voluntatis, et ita ipsa scientia simplicis intelligentiæ posita determinatione volun-

tatis per ipsam voluntatem causabit non per determinationem sibi, intrinsecam. Neque enim isti auctores admittunt quod scientia immediate causat, sed mediante voluntate. Unde non oportet, quod ipsa scientia sit in se intrinsece determinata, et applicata ad causandum, sed sufficit quod sit directiva voluntatis, et principium illius, ut se determinet: facta autem determinatione voluntatis non est necesse, quod scientia visionis tamquam causa operetur, sed solum videat, et spectet quid operatur voluntas. Et ita D. Thomas infra quæstione XIX, art. IV ad IV dicit: « Quod ejusdem effectus scientia est causa dirigens voluntas ut imperans, sed potentia est causa ut exequens: » ergo scientia Dei non nisi directive concurrat ad causandum res.

X. Sed contra hanc solutionem (omittendo modo quæstionem de distinctione potentiæ executivæ in Deo ab imperio pratico qui est actus intellectus, de quo infra quæst. XXV) insto sic. Nam vel isti auctores intelligunt totam causalitatem intellectus, et scientiæ divinæ sistere in propositione objecti ad voluntatem, deinceps vero soli voluntati competere causalitatem, et influxum in objecta creata non influente intellectu, vel intelligunt post propositionem objecti factam ab intellectu, et acceptationem voluntatis, adhuc intellectum influere, et causare aliquid in executionem dirigendo illam et imperio suo movendo efficaciter. Si primum, incidunt in magnum inconveniens, quod ratio practica tota consistat in proponendo objectum voluntati, post electionem autem, aut acceptationem voluntatis, non requiri alium actum rationis directivum executionis, quod est imperium, et ars effectiva operis. Quod tamen in 1-2 agendo de actibus humanis circa quæstiones

XVI et XVII ostendemus esse falsum, et infra aliquid attingetur circa quæstionem XXIII de prædestinatione, in quo actu consistat. Nam prætermotionem, et directionem qua intellectus movet voluntatem ad effectum rei, sive in intentione sit finis, sive in consensu, et electione si sit medium, requiritur directio, et motio intellectus circa executionem, quam ordinare, et dirigere difficillimum est, et ideo præcipuus actus prudentiæ circa agibilia est imperium, ut docet S. Thomas 2-2, quæstione XLVII. Ars etiam qui est habitus dirigens circa factibilia quantum ad executionem eorum ordinatam, non in voluntate ponitur, sed in intellectu seu ratione practica, ut docemur 1-2, quæstione LVII. Similiter Deus dicendo operatur in executione, quia ipse dixit, et facta sunt, dicere autem est actus intellectus, nec est ratio cur non intelligatur de ipso dicere formaliter, et in tota proprietate. Ergo præter nudam intellectus propositionem qua dirigit voluntatem, ut afficiatur erga objectum, vel eligat illud, requiritur directio, et imperium intellectus ad executionem applicans, et movens, ergo non sufficit ponere in Deo tantum scientiam directivam voluntatis, ut eligat et determinatam rem velit; sed etiam post determinatam volitionem requiritur alia intellectus propositio, seu ordinatio movens ad executionem, et hæc est causa rerum, sicut imperium dicens, et faciens, et sicut ars factiva; et hanc dicimus esse scientiam visionis, quia jam fundatur super libera et determinata volitione, et ordinat de executione, et sic est causa efficax executionis, et existentiam, quoad exercitium, et tamen est scientia visionis, quia tendit in objectum, ut in executione ponendum a se, et consequenter ut determinate existens, non ut pure possibile, et indifferens